

9
16
Gr. no. num. 14.
1674 10
14

Q. D. B. V.

DE

**CRIMINE MAJE-
STATIS VINDICANDO,**

Quam

654
2499

Consensu Magnifici Jctorum Wittenb.

Ordinis,

PRÆSIDE

VIR O Nobilissimo, Excellentissimo ac Consultissimo
DN. GODOFREDO STRAUSSIO,

Phil. & J. U. D. ejusdemq; Prof. Publ. Extraord. Inclytæ Fa-
cultatis Juridicæ Assessore, Curiz Elect. & Consist. Eccles.
Advocato Ordinario.

Patrono etatè devenerando

Disputabit Auctor

AUGUSTUS FRIDER. â KOTTERITZ,
Eqves Misn.


IN AUDITORIO JCTORUM

Die 15. Junii MDCLXXIV.



WITTEBERGÆ,

EXCUDEBAT JOHANNES WILCKIUS.



Handwritten marks at the top of the page, possibly a date or reference number.

CRIMINALS

INDEX

ALPHABETICALLY

Handwritten notes on the right side of the page.


Handwritten notes in the middle of the page.

Handwritten notes at the bottom of the page.

ALPHABETICALLY

Handwritten notes at the bottom of the page.





C. B. D.

§. I.



Majestas est summa potestas, quæ omnia negotia civium subditorum in salutem & beatitudinem Reip: diriguntur: eximio numine ac providentiâ DEI. T. O. M. condita, ut vicariæ gubernatricis instar fluctuantem generis humani navem moderaretur & ad portum pacis ac tranquillitatis publicæ ageret. Eâ valente vastum Reip. corpus spirat ac vinam trahit: exclusa ruenti cadaverosam & funestam intemperiem conciliat. Etenim cum homines segreges usu & necessitatibus urgentibus, ducu rectæ rationis beatam socialemq; vitam coli, & salutem mortalium in statu naturali expediri non posse intelligerent facile: in gentes & Resp: coierunt pactisq; publico arbitrio se submiserunt. Inde nata Majestas, validissimum totius humani generis firmamentum. Quod Mathematicis contingit, cum per vulgares numeros ægrè calculum subducerent, in Sexagenas redigerunt: idem nostro generi usu venisse affirmaveris. Grandem & immanem beluam, tot capitibus quot patribus familias horrendam, moliri & flectere vix possibile, quin propriis vulneribus confoderetur. In ordinem ergo imperantium & parentium concinnari gentes necesse erat, ut ad Naturales Leges vitam melius componerent, DEO cultus sociis suum jus tribueretur. Incredibile dictu quanta felicitas & emolumenta miseris hominibus inde acciderint. Quod vel solus ordo, qui se in civili societate commendat, præclare ostendit.

A 2

dit.

dit. Atq; eò graviore & atrocissimo scelere se obstringunt qui
Majestatem augustissimam involare & totius Reip: compagem
rumpere & convellere adoriuntur. Coagulum enim & co-
agmentum omnium flagitiorum quæ adversus homines com-
mitti possunt, perduellio est: quâ omnem obedientiam exu-
unt & omnibus Legibus renunciant. Proximum sacrile-
gio Crimen Ulpianus *L. i. ff. ad L. J. M.* appellat. Inde Thom:
Hobbes, Phil: Anglus Tr: de Cive eleganter ait: *Quod ma-
lum tantò gravius est quolibet peccato uno, quanto peccare semper,
gravius est, quàm semel.* Neq; enim unus homo, nec pauci
sed ingens & copiosa multitudo violatur. Cum Atheis conten-
dere non inneptè possumus, qui abdicare obsequium adversus
DEum; ejusq; æternam Majestatem ac providentiam negare
protervè sustinent. Nullum vero detestandum magis facinus
excogitari proptest.

§. II.

Finimus ergò Majestatis violatæ crimen quòd sit peccatum,
quo subditi adversus potestatem, securitatem & dignitatem
imperantium, vel ipsum statum Reip. aliquid moluntur. Res
publica & penes quem τὸ κέντρον ac imperium ejus summum re-
sident, nobis hic eodem nomine & jure censentur. Nam Princeps
summa & compendium totius Reip. est quam representat. Ratio
hujus criminis potissimum eo absolvitur, dum subditus pravo
molimine, quò dicto vel facto proditur, obsequium erga superi-
orem excutit, integrum imperium, jus aliquod Majestatis, existi-
mationem & honorem, ipsamq; salutem imperantis aut Reip:
incedit contraq; aliquid machinatur Tria enim in Principe
eminent quæ violata. Remp: labefactant & præcipitem agunt:
Majestas ipsa; qui ex eadem resultat honor & dignatio; & quæ
eam firmat vita ac incolumitas. Hæc cum Majestate ipsa tam ar-
ctè cõalescit, ut qui illi insidietur, etiam hanc affectet plerumq;
Fundamentum ergo criminis nostri in injuriã, quæ primario
Majestatem appetit, & Remp: è cardinibus emolitur, consi-
stit. Illud vero duobus modis, quos vulgo species vocant, com-
mittitur. Primus est quando aliquis hostili animo adversus statum
& securitatem Reip: & Rectorem ejus directò aliquid molitur.
Ut

Ut pura si quis obsequium omne detrectet, defectionem agitet
fasces imperii ambiat, justumq; regni possessorem solio dejicere
conetur; populum ad res novas & consternationem publicam
accendat, vitæ Principis insidietur, injussu ejus bellum gerat,
delectum militum habeat, hostes concitet & com meatu alioq;
subsidio juvet &c. Idq; speciali vocabulo perduellionis effertur
L. 1. §. 1. ff. h. t. L. 3. §. 4. ff. eodem, Ant. Matthæi de Crim.
Lef. Maj. c. 2. Alter est cum non hostili animo per indirectum
in Remp: aut Imperantes impingit subditus, jura &
stricturas Majestatis sibi usurpando, honorem Principis facto
dictoque atroci calcando. Quod Crimen Majestatis simplex vo-
cant. Ubi, si privatus jus gladii sibi sumat & singulares pugnas,
si copia judicis haberi queat, committat; si jus venandi invito
superiore privatosq; carceres exerceat, *L. un. C. de priv. Carces.*
Intri. monetam cudat L. 2 C. de Fals. mon. si convitiis lacestat no-
men ac opinionem Regis, si imagines, insignia ac statuas im-
peratoris consecratas porstraverit aut conflaverit. *L. 6. π. h. t.*
Neq; enim dubito hac ratione injuriam ipsi Majestati inferri &
in imperantes redundare. Nam honor est essentielle consequens,
ut loquuntur, Majestatis. Quippe potissimum signis externis,
utpote verbis, factis ac gestibus, quibus alicujus virtutem, sapi-
entiam ac potestatem declaramus, absolvitur. Qui ergo vel ver-
ba contumeliosa jactat in superiorem, vel imagines ejus frangit
ac despuit, potestatem summam Principis negare, quantum in se
est, & de honore ejus detrahare nititur. Hinc Magnif. Dn. Zi-
gler *Exerc. 1. de Jur. Maj. Ad Archetypum enim & rem significatam*
seu exemplar primarium pertinet id, quod rei significanti in-
fertur contumelia: cum præsertim eò omnis tendat ladentium affe-
ctus & intentio, ut si præsentem haberent Principem vivum, iisdem
prorsus injuriis inpetiturum se significant. Diis non detrahes &
Principi populi tui non maledices *Exod. XXII. §. 28.* Principis est
omnem sui contemptum discutere strenuè ne apud rude vulgus,
quod opinione potentius regitur, Majestatis existimatio exolescat.
Pœnam ergo hujus sibi ipsi Imperatores *L. un. C. si quis Imper:*
maledix. mitigandam & exasperandam reservarunt. Modo &
gradu hæc capita differunt, Gravius alterum scelus est ipsum

cor & animam Reip. petit: mitius alterum, quod in latus tantum Reip. invehitur. Utrumque detestandum & Majestati infestum.

§. VI.

Atque ita quidem Crimen Majestatis: secundum simplicitatem naturalem ac civilia principia describitur. Cavendum vero eximiè ne indolem ejus ad positivas certarum Rerumpub: imprimis vero Romanæ gentis leges quibus latissimè Crimen hoc extenditur, tantum exigamus. Potest enim qui summo imperio fruitur naturam hujus flagitii jam laxare amplissimè, ut auctoritatem apud: ferociorem populum dextrè asserat caputque tegat melius, ad ulteriora ipsosque sanctiores ministros protrahere: vel coartare & bonam partem inultum relinquere prout è re communi fore arbitratur. Nam non tam naturam ejus migrat; quam effectum pænæ graviolem vel molliorem delicto alicui circumfundit. Accuratè id exponit Thom: Hobbes de Civec. 1. §. 20. *Potest autem esse ut aliquid quod factum ante legem Civilem latam non erat Crimen Majestatis, sit tamen si fiat post. Ut si lege declaretur, pro signo obedientie civilis renunciata, he: pro Crimine Læs. Maj: habendum hoc vel illud vulgare Crimen esse Legis qui postea id facerit, reus Majestatis: non minus est, quam ille alter.* Solent enim Principes exigente Reip: necessitate haud rarò solennem criminis modum egredi, gravioresque pænas & fortiora remedia objicere, ne latius serpat quod jam undique radices egisse putatur malum. Magnif: Dn. Ziegler c. 1. §. 52. Quorsum refero, quod non nulli capita consiliariorum sacrosancta fecerint addeò, & ab omni discrimine muniverint, ut temeratores eorum Criminis læsæ Majestatur rei flagitarentur. Ita Rex Galliarum statuebat ut quisquis gravius aut violenter quicquam in Mazarinum consulere sustineret reus Maj: ageretur. Idem de Henrico VII. Britannie Rege, qui hoc munimento Cancellarium Regni armavit, relatum legimus. Nam hac viâ semetipsos tutiores præstabant & Consiliarios, quorum prudentia eminentiori imperia fulciuntur. Justinianus, Arcadius & Honorius Consiliariis & Consistorianis in L. 5. pr. C. ad L. J. Maj: talem fulgorem ac characterem *impresit* ut si in necem eorum factione
mini-

initâ conspiratum fuerit , perinde deinceps accipiatur , ac si ho-
stili in ipsum Principem ac Remp : animo id admissum sit, licet ta-
lem nunquàm habuerint factionis autores M. Dn. Ziegler c. l. 565.
Id tamen propriè Crimen Maj : non est. Nam lex vocando Cri-
men Maj : id quod natura non ita est, nomen quidem invidiosum
& forte majorem pœnam in reum jure statuit : sed ut peccatum
ipsû gravius sit, non efficit. Etsi prohibitionē superioris severiorem
intendere delicta subditorum in legem commissa , asseramus
Hobbes c. l. Jacob Gothofr. ad L. Quisquis 5. C. Ad L. J. M. c. 15.
Atq; id crimen perduellionis vocatur Henric : Bocerus de Cr:
Læf : Maj : c. 2. n. 14.

VII.

Quæ potestas tamen ad necessitatem & salutem publicam
alligata est, nec temerè & pro lubitu ad vilissima peccata , quæ
fragilitas humana vitare difficulter potest , & societatem huma-
nam non turbant , Majestatis Crimen protrahi potest. Non
ad libidinem Principum sed subditorum incolumitatem imperia,
quantacunq; , excogitata sunt H. Grot, *de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 19.*
20. Quare Lex Majestatis ap. Romanos , occupatâ ab Imperato-
ribus Rep. ingenti abusu torquebatur. Nam LL. XII. TT. cau-
tum duntaxat erat. ut qui hostem concitaverat , qui ve hosti ci-
vem tradiderat, capite puniretur *L. 3. ff. ad L. J. M.* Verba con-
cepta legis ita habeant. *Si qui Perduelem contitasit*
civemve perdueli transduit, capitale esto, confe-
ratur Sigonius *L. 2. de Reip. Rom. Judic.* Eam auxit Lex Cornelia à
Cornelio Syllâ condita, Cicero Or. in Pis. Quædam quoq; adje-
cit Cæsar Julius *c. L. 3. ff. ad L. J. M.* conferatur Tacitus *Ann. 1. c. 72.*
Postea vero ab Augusto, Tiberio aliisq; Imperatorib9: in immensû
& ploqvâ divinum cultum, quo adorari postulabant Tyranni, pro-
lata lex Majestatis est : instrumentum ex quisitissimæ crudelitatis.
Qui vendito horto statuem Principis emptori mancipaverat , qui
statuæ Cæsaris caput demiserat , ut alii imponeret ; qui suam sta-
tuam altius Cæsaris posuerat ; qui nummo vel annulo Cæsaris effi-
giem impressam intulisset latrinæ , au matulæ admovisset,
qui juxta statuam Imporis vestimenta mutaverat , vel exone-
raret

arnerat vesicam Reus Majestatis temeratae erat & capite nefas lu-
ere miserum oportebat, Sveon. in Tib. §. 58. Tacit. Ann. L. 1. cap.
72. 33. Seneca de benef. 3. c. 26. Dio. L. 57. plura quoque exempla Christ.
Folstnerus ad Tac. Ann. 1. 1. 160. & ad L. XL. ex Amm. Mancell. con-
gesit. Terrore enim implere omnia studebat, ut dominationem
eò accuratius & proveherent & munirent.

VIII.

An conscientia sceleris quod in imperantes vel Remp. pa-
ratur, nuda voluntas & conatus ad Crimen Majest: sufficiant,
ambiguæ indaginis est. Putaverim ante omnia distingvendum
esse inter *actum intellectus* nudum, quo scimus & cogitamus. Hu-
jus in foro externo nulla habetur ratio. Cogitationum enim nu-
darum nemo penas luit L. 18. π. de Pœnis. *actum voluntatis*, quo
decernimus & probamus cogitata: & *conatum*, qui est actus ex-
ternus ad executionem voluntatis tendens Bachov. ad Treut. V. 2
D. 23. th. 1. conferantur Magnifici Dn. Zigler ad Grot. l. 2. c. 20.
§. 39. D. Wilhelmus Leyser ad A. B. c. 24. qui exactius gradus
hic constituunt. Eis substerno regulam: quod omnis actus
pravus hominis, qui pacem & tranquillitatem Reip: turbat vel
facile & vehementer turbare potest pœnæ humanæ obnoxius sit.
In id enim civilis potestas constituta est. Quare quod primum at-
tinet, naturæ humanæ quidem congruum non est ut ex actibus
merè internis jus, obligatio aut delictum nascatur, in quod Maje-
stas valeat: cum inevitabiles quasi nobis sint, & in judicio divino
pravi & puniendi duntaxat habeantur H. Grotius c. l. §. 18. seq. At
vero cum conscius insidiarum quæ struuntur, non in nudâ cogni-
tione subsistat, sed non deferendo indicium quo parricidium im-
pediri poterat, culpam contrahat quæ morali sensum factum s.
actum voluntatis pravam inportat, quo Majestas læditur & hu-
mana societas immane quantum turbatur: Crimen Majestatis
enim committere non dubitaverim. Leges naturales constitutis
Rebusp: omne malum & exitium à majestate & Rep. amoliri pro-
virili jubent subditos. In salute enim Imperantium salus paren-
tium delitescit. Quod actio aliqua imputari agenti queat ejus
causa nulla alia est, quam quod in potestate alicujus fuerit illam
fieri vel non fieri suscipi vel omitti. Ut aliquid in genere morum
sit

fit ens positivum, sufficit, si adesse aliquid intelligatur, ex quo
veræ affectiones emanant Dn. Puffendorff. de I. N. & G. L. 1.
c. 5. §. 4. & 5. Cum ergò per actum alterius quasi se exerat & ad
facinus procedat illa voluntas, puniri posse non est dubium.
Atq; idem Nov. 117. c. 8. §. 1. insinuat. Neque enim insolens
Romanis Legibus est, in conscios delictorum, qui indicio suo
malum interpellare poterant, animadvertere, imprimis si gra-
viora fuerint L. 2. 6. 7. ff. ad Leg. Pompej. de parricid L. 9 §. 1.
ff. de Leg. Corn. de fals. arg. L. 50. de R. J. Adeo ut, etsi dubitet
vel nequeat probare, teneatur tamen denunciare. Nam L. 3.
C. h. de accusatoribus loquitur. Deinde ut secundum pun-
ctum expediamus, voluntas quidem naturam moralem actio-
nibus induit, adeoq; etsi immanens sit, revera à LL. superio-
ris deflectere & delicto contaminari potest. Quod ubi co-
gnitum & evulgatum est, etiam in iudicio humano, præsertim
si atrocissimum, uti nostrum, fuerit, imputari & coërceri
potest. Nam actus mali interni non absolutè imperium
civile respuunt; sed quatenus ignorantur, dirigi nequeunt,
& societatem humanam non turbant. Ubi ea ratio cessat,
delictum etiam in foro humano capiunt. Et fortè huc D.
Hadriani ratio produci potest, quòd in maleficiis voluntas
non exitus spectetur L. 14. ff. ad Leg. Cornel. de sicar; & Papi-
niani, quòd fraus ex consilio non eventu interpretanda veni-
at. L. 79. ff. de R. J. Quam reperit Imperator in L. 5. & 6. C. ad L.
Jul. Maj., eadem severitate voluntatem, puniendã esse quã effe-
ctum dictitans. Pleriq; tamen hos text, accuratiùs ad conatum
ubi consilium actu externo se exeruit, restringunt; ac volun-
tatem & cogitationem talem intelligunt, quã jam ad facinus
prorupit. A. Matthæi d. c. 2. de Cr. L. M. c. 3. §. 4. Si ergò conatus
& molimentum accesserit, ut si venenum paraverit, etsi non-
dum porrexerit Principi latro, si sacramentum factioni dixe-
rit etsi à principio externo vel interno frustratus sit: Maje-
statem procul dubio temerabit graviter & ulciscendum ne-
fas patrabit: quia decretum detestabile ad actum externum
produxit. Quem imperio civili subesse omnes ajunt. Plus
enim turbat pacem communem talis conatus, quàm scelus

B

aliud

aliud consummatum. Idem sibi voluit *L. 5. pr. L. 6. C. h. t. L. 3. inf. ff. ad Leg. J. M. Bachov, ad Tr V. 2. D. 32. lb. 10 Mynsing: 3. O. 9.*

§. IX.

Speſtato Ingenio ſcleris ipſius, proximum eſt, ut, ad-
verſus quos patretur, diſpiciamus. Hic verò in univerſum,
quisquis Majeltatis auguſto axiomate fulget, in eum com-
mitti crimen L. M. poſſe, pronunciamus. Indeque non tan-
tùm in Monarchas & Principes, ſed & Optimates & Popu-
lum in Polyarchicis Rebuſp. expetit. Quemadmodum Ma-
jeſtate omnis Reſp. pollet ita & eadem in omnibus à ſubditis
ejus offendi poteſt. An in Reginas cadat, quæſiveris. Na-
turali quidem rationi convenit egregiè, ut omnia inter con-
juges communia ſint: cum bona corporis ſeqvela ſint, hæc verò
matrimonio communicantur. Attamè quia partim imperium
civile ad perſonam Regis ab eligentibus reſtrictum eſt, p-
uxor à DEO arbitrio mariti ſubjecta, Majeltas Reginis com-
municari non videtur; indeque lædi in eis nequit. Interim
quoniam dignitas & fulgor, quem regnantibus majeltas cir-
cumfundit, aliæque ſtricturæ lege poſitivâ & conſuetudine gen-
tium communes uxoribus Auguſtis ſint, per indirectum quo-
dammodo injuriis harum mariti Majeltatem tangi non nega-
verim. *Magnif. Dn. W. Leyſer ad J. P. Beck. L. 2. c. 5. Idem de
ſobole regali & tandem gente regnatrice integra habendum.*
In Imperatorem Romanum committi ab omnibus ferè con-
ceditur: & ſi delibatam & limitatam quoad nonnulla jura po-
teſtatem poſſideat. Ad Electores Principes & ſtatus Germa-
niæ non uno nomine referri poteſt. Et quidem directò, ſi re-
ſpectu totius corporis Germanicæ Reip: Procereſ, non levia
jura de Majeltate J. R. participant, conſideres. Statum
mixtum enim R. J. eſſe ſecundum plurimorum jurispublici
DD. ſententiam ſupponimus. Quas Majeltatis facultates in
comitiis quidem maximè exercent: Actus tamen primus, ut
loquuntur, penes ipſos etiam domi reſidet, & compages
moralis, quâ moles imperii cum partibus ſuis conſtringitur,
perpetuò durat. Quamquam verò Vaſſalli Imperatoris &
Impe-

Imperii esse videantur: tamen id non intuitu universi Imperii, sed quatenus ut singuli provinciarum suarum Domini spectantur, exaudiendum Dn. Carpzov. Pr. Cr pt. i. Qv. XLI. n. 75. ad 87. Tum verò contemplatione territorii Majestate analogâ, quam superioritatis territorialis vocabulo efferrunt, gaudent, quâ idem in suis ditionibus, quantum Imperator in Imperio toto, possunt. Sanè si vim & effectum in subjecta capita exputemus à summa potestate parum abhorret. Eam si quis subditorum involet, quasi perduellionis crimen eum incurrere existimandum. *Magnif. Dn. W. Leyser ad A. B. c. 25.* Deniq; indirectò in eos fertur Nam de Electoribus conceptis verbis in A. B. c. 24. cautum legimus, Majestatem Imperii Romani offendi, quoties gravius quicquam in Proceres eos statuatur. Ratio adjicitur, quòd pars corporis illius mystici sint & regimen commune consiliorum prudentiâ simul cum Imperatore administrant. Quæ cum & in reliquos Ordines conveniat, cum & hi de rerum summa cum Imperatore R. deliberent, imò invitis iis nihil, quicquam in submilioribus negotiis Reip. statui queat; meritò idem privilegium ad hos extendimus. Dn. Carpzov. c. l. n. 60. ad 74. & n. 88. Tandem cum *L. Quisquis V. C. ad Leg. Jul. maj. in Consiliarios eius, qui τὸ κρείον in Rep. Romanâ tenent, Crimen Majestatis extendatur,* nullus dubito, quin in sanctiores Electorum ac Statuum Senatores Majestatis læsæ Crimen committi queat. Etsi enim olim, cum ea lex conderetur, diadema imperii penes solum Imperatorum hæreret: hodiè tamen Rep. in statum mixtum versâ, Electores & ceteri Status Imperium Romanum cum Imperatore quoad quædam jura Majestatis commune habent. Accedit, quod analogâ Majestate seu superioritate territoriali, quæ respectum subditorum cum propriâ coincidit, Imperii nostri Proceres gaudeant & Leges Romanas in ditionibus suis observari & accommodari jubeant. Quod argumento est, etiam hanc *L. Quisquis ad L. J. M.* analogicè ad suos Consiliarios applicari velle, quâ pars corporis sui veneranda quoq; existunt.

B 2

S. X.

§. X.

Restat, ut videamus, à quibus Majestatis Crimen committi queat. Et concors Politicorum sententia est, tantum ab eo designari, qui summæ potestati pacto aut naturâ subiectus est eiq; obsequium debet. Crimen enim hoc perpetuam relationem inter superiorem læsum & subditum lædentem implicat, nec sine ea intelligi potest *Bacchov. ad Treutl. v. 2. D. 32. tb. 1. Anton. Matthæi ad L. 7. M. c. 1. n. 7.* Quamvis enim ab extraneis comiter habendus quoq; Imperans veniat; tamen quia læsum non venerantur superiorem, potius ejus æquales existunt. Quemadmodum enim tota gens externa & ejus Rector conditionis ejusdem cum meo Principe & Rep. est: ita & membra ejus seu singuli, si libertatem naturalem spectes. Cui me non subjeci, cum eoin statu naturali, quo omnes homines æquales sunt, vivo. Id verò fatendum habeo, gravius peccare, qui lædit Majestate instructum, quam si privatum hominem offendisset. Totam enim multitudinem, cui præest, infestare videtur. Ad eundem censum redigo incolas, qui domicilium in aliquam regionem contulerunt. Hi enim eo ipso, quo sedem suam ac Larem in ditioe quadam figunt, Imperio summo Magistratus loci ejusdem se subjicere intelliguntur. Nam sicut omnes terræ intuitu emolumentorum, quæ edunt, dominiis; ita ratione hominum ibi degentium occupatæ & distinctæ consuetudine gentium imperiis sunt; sine quibus nulla gens pacem & felicitatem tueri, adeoq; externos excludere potest, si cervices submittere recusent. Sub conditione ergò tacitâ adita gens admittit adventantes, si ordini publico inter Imprantes & obediens se subjiciant. Quod ipso ingressu venientes aliunde promittunt. Non officit, quòd nec iisdem immunitatibus nec oneribus fungantur. Cum hæc extrinseca sint & conditionem subditi tantum circumstant, imò ad civis non subditi fortunam pertineant. *A Matthæi c. l. c. 1. §. 7.* Idem habendum de advenis & peregrinis ob rationem adductam est. Temporarii enim subditi sunt, licet horæ tantum spatio apud nos versari perseverent.

Aliter

Aliter res comparata cum Vassallo est. Is reus Majestatis non fit. Nam ad fidelitatem tantum obstrictus Seniori, officio contraveniens Feudo excidit : non vero ad subjectionem civilem; obsequium tenetur. Juramentum fidelitatis ratione rei in Feudum datae : Juramentum subjectionis ratione personae, quae in societate civili quoad voluntatem integram, vitam & bona imperanti subiecta est, praestatur. Etsi quandam superioritatem Feudi Domino in Vassallum ratione rei demus. *Dn. Struv. S. J. F. c. 8. a. 6. n. 9. Anton Matthei c. l. n. f. Dn. Carp-zov. L. 4. Resp. 70. n. 27. § p. 1. c. 1. Def. 14.*

§. XI.

Cum immanissimum, & quod excogitari atrocius, si societatem humanam respiciamus, nequeat, flagitium Majestatem invadens sit, non alienum hinc, credo, fuerit, de poena & remedio, quo malum restringatur & quousque excurrere queat, disquirere. Poenas non absolute à Jure naturali praecipitur, sed normam earum unicam imperii efficaciam, quatenus illud utilitatem ac necessitatem communem juvat, salutem, & securitatem Reip. conservat, esse constat. Prout ergo delictum aliquod magis vel minus obsequium debitum & tranquillitatem communem (sive ex se atrox sit, sive ex circumstantiis variis vitium traxerit) turbat : eò magis exasperanda vel mitiganda pro arbitrio Imperantium poena. Nam quia genus humanum sine imperiis stare nequit : Imperium sine obsequio elusorium & inefficax redderetur ; necesse est malo quodam refractarios animos coercere & in officio continere. Cum libera voluntate agentes regere alio modo non liceat. Idque Dei T. O. M. autoritate : qui frustra Majestatem Principi tribueret, nisi & ultore gladio tremendam faceret. Atque idem Gen. 9. §. 9. divinum praecipitum de fundendo noxio sanguine roborat. Cujus rationem eam proferunt : quod homicidia vehementer tranquillitatem societatis humanae convellant. Indeque ad omnia scelera Theologi ipsi protrahunt & ex hoc generali poenarum fundamento integrum jus punendi extruunt B. Lutherus in *Gen. c. 9. p. m. 145.* Gerhardus de *M. P. n. 296.* Accedit, quod alias nec Deus de supplicio

B 3

Caini

Caini dispensare potuisset ; nec Principum delicta inulta re-
ctè dimitterentur: nec multitudinis facinorosa (utpote legio-
nis aut provinciæ totius) flagitia per cædes Ducum aut de-
cimi cujusq; sortitione factâ expiari possent. Nam sub incu-
nabula orbis exemplo opus non erat & maturanda generis
humani propagatio. Principes neminem superiorem vene-
rantur cujus potestatem eludant, & ejus supplicia felicitatem
civilem veriùs everterent, quàm juvarent. Impunitas enim
Imperantium stabile est publicæ rei firmamentum. Justam
multitudinem ad internecionem delere, crudele est: tum quia
Imperium calcatum paucorum interitu vindicari potest, me-
tu ad omnes, pœnâ ad paucos perveniente; tum quia demum
neminem haberet Princeps, cui imperitaret; ac ita contrarius
pœnarum finis observaretur. Explodimus ergò proportio-
num doctrinam, quæ negotia moralia involvit magis, quàm
expedit, utpote ex principiis alienissimis & quantitativis de-
sumtam. Nam ne quidem figurato sensu Arithmetica Pro-
portio ad pœnas accommodari potest. Proportio secundum
Mathematicorum definitionem est similitudo rationum. Ra-
tio est relatio fundata in mensura quantatis. Quia verò hæc
habet duos terminos, quorum prior antecedens, posterior
consequens vocatur proportio verò duas rationes continet;
necessariò Proportio ex quatuor terminis seu extremis com-
ponitur, Euclides *L. 5. def. 4.* ibiq; Oront. Excellent. Dn.
Walther in *Mathes. Univers. MSS. c. 3.* Sed in pœnis infligen-
dis duo tantùm extrema sc. delictum & pœna contenduntur.
Deinde pœnæ, quæ delictum commensurant, seu propter æqua-
litatem & ad satiandū dolorem exercentur, mali rationem ha-
bent & illicitæ sunt. Nam ab humana natura abhorret & cru-
dele est malum præteriū tantùm spectare. Nulla est justa pœna,
nisi ob bonum futurum & hoc fine irrogetur, ut peccans emen-
detur & alii supplicio deterriti ad frugem redeant. Non de-
bere in malo cujusquam ulciscens animum acquiescere,
Scholastici ajunt, *Thomas II. 2. Qu. 108. H. Grotius de J. B. &
P. L. 2. c. 20. §. 4. & 5. Dn. D. W. Leyser. not. ad C. T. De his*
qui

qui accus. Thom. Hobbes de Civec. 3. §. 11. Tum verò pœna fur-
ti capitalis, imò æternæ mortis à Deo protoplastis nostris ob-
decerptum pomum denunciata vix justa esse aut defendi pos-
set, si ad illam Aristotelis normam negotium metiendum fo-
ret Dn. D. W. Leyser. c. 1.

§. XII.

Ex his suppositis conficimus, quod in Crimine nostro
pœnas ad summam extendi justum sit. Nam proculcato omni
imperio ipsum nexum civilem labefactat maximè. Adeoq;
violator Majestatis honoribus & fortunis omnibus exui, capi-
te plecti & immitissimis cruatibus torqveri potest. Hinc
in Imperio Romano infamia violatores Majestatis sequitur,
quia judicio publico damnantur *L. 7. ff. de Publ. Jud.* Et
cum ad honorem funus solenne, luctus familiæ & propin-
quorum pertineat, etiam hæc eis denegantur *L. 11. ff. De his
qui not. inf. L. 35. ff. de Religios;* & tandem memoria eorum
post mortem damnatur *L. pen. & f. C. h. t. ædes diruuntur
arg. L. 24. ff. de Pœn. ibiqve Dion. Gothofr. Perez. ad C. h. n. 19.*
Deinde facultatibus suis etiam privantur, quæ Fisco cedunt
L. f. ad Leg. Jul. Maj. L. 5. 6. 7. C. eodem. Bona verò Feudalia, ad
quæ non minus pœna nostra excurrit, ad Dominum Feudi
revertuntur, *Capit. Ferdin. III. art. 28. Ordin. Pac. Publ. anno.
1547. 1549. sub Tit. Pœn. Der Friedbrecher/ Ordin. Camer. part.
2. T. 9. §.* So semands Dn. Struv. *S. J. F. c. 15. a. 10.* Nec
obstat his, quòd ita damnum ad liberos innocentes redun-
det, qui bonis, unde sustententur, cadunt. Nam aliud est
damnum directò datum, quo aufertur alicui id, ad quod jus
proprium habuit: aliud quod in consequentiam venit; quod
contingit cum quis amittit jus, quod sub conditione ipsius fu-
turum erat. Sic parentum bonis confiscatis sentiunt quidem
incommodum liberi, sed propriè ea pœna non est. Quia
bona illa futura illorum non erant, nisi à parentibus ad ulti-
mum spiritum essent conservata *H. Grotius de J. B. & P. L.
2. c. 21. §. 10.* Porrò corpus & vita quoq; affligitur. Hinc
gladio feriendos *L. Quisquis C. h. t. dictat.* Quod DD.
de omni suppliciorum genere interpretantur & pro modo
Crimi-

Criminis jam igne , jam dissectione in quatuor partes jam gladio puniendos autumant : tum quod §. 3. J. de Publ. Jud. generaliter loquatur , tum quod Paulus *Lib. 5. Sent. c. 29* igne comburi , bestiis objici & capite plecti Majestatis læsæ violatores prædicet. Quæ capitis poena ad omnes poenarum capitalium species porrigi potest arg. *L. 38. §. 1. & 2. ff. de Pœn. si conferas eum L. 7. de Re Milit* : imò quia verendum, ne vindictam meditentur perduellium liberi , etiam in hos protendi potest animadversio. Adeoq; ab honoribus publicis & successione hæreditariis prohiberi , exilio multari aut in vincula publica conjici queunt , donec securitati publicæ consultum sit. Id quod parentibus quidem in poenam cedit, dum propter ipsos charissimi coguntur inglorii vivere : in liberis autem poenæ vicem non habet. Quippe non his sed populo aut Regi jus proprium in eas dignitates est , à quibus possunt quemlibet arcere , si è Rep. non esse judicent. Cætera verò jure imperii , quo vel jus quæsitum subditis auferri , & prohiberi potest, ne jus aliquod ad eos perveniat , simpliciter non in poenam sed securitatem communem statuuntur. Inde *L. 5. §. 1. & 3. C. h. t. A. B. c. 24. §. 1. & 3.* filii perduellium non immeritò à dignitatibus publicis & hæreditatibus excluduntur *H. Grotius c. 1. §. II. & 16.* Magnif. Dn. Zigler, ad eum *c. 1. §. 13. & 16.* Dn. Puffendorff. *de J. N. G. L. 8. c. 3. §. 32.*

§. XIII.

Ceterum num ad liberorum vitam paternum supplicium porrigi directò queat , sublimioris & longè abstrusissimi negotii est. Ita enim apud non nullas gentes rem frequentari deprehendimus. Justinianus Impr. Arcadius & Honorius paterno debere supplicio perire , in quibus paterni & hæreditarii criminis exempla metuuntur *L. Quisquis s. C. Ad Leg. Jul. M. affirmant.* Idem Carolus IV. in *A. B. c. 24* severè minatur. Tiberium sanguine stirpis Sejanæ paterno scelere parentasse, historia Romana meminit. Græcos Tyrannorum (qui intuitu Status popularis perduelles sunt) sobolem simul vel necasse, vel exulatum misisse Dionys. Halicarn. *L. 8.* tradit.

Idem

Idem contigit proditoribus pacis Thebanæ cum suis, Xenophon L. 5. Hist. Macedonibus eandem legem patriam fuisse Q. Curtius L. VI. c. 11. & L. VIII. c. 6. memoriæ prodidit. Perfas impium facinus hoc exilio familiæ totius piasse Ammian. Marcell. L. 23. autor est. Artaxerxi quinquaginta parricidæ cum omnibus liberis & conjugibus pœnas dedere, Justinus L. 10. c. 2. Conf. Valer. Max. L. 6. c. 2. Nefas persecutorum Danielis simul in prole vindicatum Dan 6. A Dario Rege In-taphernem maleficum cum suis innoxiiis interfectum Herodotus L. 3. ait. Hanno perduellis à Carthaginensibus cum totâ domo supplicio traditus, Justinus l. 21. c. 1. Eundem morem Regibus Japonensium servari Nobiliss. Mandelsl. scriptum reliquit. De Seythis Herodotus L. 4. testatur. Cicero in Epistola 15. ad Brutum inquit: *Illud videtur esse crudele, quod ad liberos pœna pervenit: sed id antiquum est & omnium civitatum.* Adeoq; consuetudinis Gentium hanc pœnam fuisse tunc temporis videtur. Rationes, quibus illa consuetudo & jus gentium excusatur, proferunt: quod per sanguinem & semen paternum temperamentum Patris in filios propagaretur, quod mores plerumq; sequi solent L. 5. C. b. t. Ammian. Marcell. L. 28. Metuendum, ne liberi amore congenito ultores necis paternæ existant & idem facinus machinentur Justin: L. 21. c. 1. Et tandem ita facilius parentes charitate tenerrimâ, quâ in pignora sua feruntur, à nefando molimine deterreri, quo integra moles regni percellitur & amiciores Reip. reddi, Cicero c. 1. Hobbes in Leviath. c. 28. ita philosophatur: Istos Majestatis læsæ reos hostes se civitatis profiteri, & jure belli coërceri. Bellatores verò eodem jure in nocentes & innocentes uti. Sed hæc justitiam rei non evincunt. Nam aliàs ob quævis delicta capitalia parentum liberi quoq; occidendi forent. Et Medici quidam temperamentum liberorum partim ex alimentis parentum, unde semen tempore concubitus natum, partim proprio victu non verò simpliciter ex naturâ genitorum derivant Æschatus Major in scrutin. Ingen. c. 22. p. 702. Novimus probos ex pessimis procreatos, intractabiles ex mitissimis.

C

ad

ad certam cujusq; mortem sufficere non debet. Alia ea q; clementiori viâ, uti carceris vel exilii &c. vindicta filiorum discuti & arceri potest. Et in universum non disputamus de causâ externâ, sed de causâ formali justitiæ, seu facultate justa ac morali, tanquam medio perveniendi ad finem. Solus finis actioni bonitatem non induit nisi & media pia fuerint. Hostis nemo est, nisi qui injusto & nefario facto societatem naturalem ruperit. Quod à prole immerente perduellium hactenus alienum est. Et innocentes quidem in bello interfici possunt, si victoriam & jus suum alia ratione obtineri bellans non potest. Quæ necessitas hic non subesse videtur. Non jure belli, sed puniendi Princeps hic utitur.

§. XIV.

Nos quid pro hac causâ ex firmioribus principiis in scenam produci queat, tentabimus. Deum T. O. M. habere in omnes homines etiam innocentissimos & sanctissimos illimitatam vitæ ac necis potestatem B. Lutherus ad Gen. c. 9. his verbis significat: *DEus habet potestatem occidendi nos, etiamsi mundus nos accusare non possit, sed coram mundo innocentes sumus. Nam peccatum nobiscum natum omnes nos coram Deo reos statuit.* Equidem Deus suâ naturâ propitius & benignissimus beneficiis tribuendis gaudet admodum, mala & clades horret. Sed cum rerum conditarum ordo constare sibi nequeat sine imperio & regimine ejus; hoc verò frustraretur nisi homines, creaturas rationales, libero arbitrio præditas malis & stragibus intra repagula legum suarum coerceret: necesse est aliquando nos pœnis affligere. Producere verò eum pœnas interdum ad alios, quàm qui deliquerunt, argumento est, quod Sodomæ & Gemorrhæ ultrices flammæ & diluvii tempestas etiam ad innocentes parvulos & infantes, qui intacti à flagitiis parentum erant, redundaverint Gen. 7. & 19. Furtum Achanis non solum familia innocens, sed & populus Isra l, ejus expers penitus, clade ab hostibus acceptâ, luit pessimè Jos. 7. Seditio Kore, Dathan & Abiram etiam infamilia, quæ noxia nullibi dicitur, vindicata est; imo vix Moses imis obtestationibus supplex obtinuit ne ob hanc rem totum populum

pulum conficeret Numen. Num. c. 16. §. 21. 22. 23. Crebræ mi-
nationes Dei in Sacra Scriptura exaudiuntur se injustorum u-
xores viduas & liberos orphanos facturum. Imprimis verò
illa illustris est, quæ Decalogo attexitur, ad anepotes calami-
tates ex avito scelere se protracturum Exod. 25. Quæ minæ
simplices, ut promissio præmii, restringi non patiuntur. Estq;
eadem de hoc negotio sententia Augustini L. 9. contra Julian. c. 12.
Addo exemplum Jonathanis, sancti hominis, qui meritò Patris
inacie cecidit 1. Sam. 31. §. 2. ac omnium filiorum Saulis,
quos ob eadem Gibeonitarum à gaule nequiter factam jussu
Dei perire oportebat; imò totus populus Israël gravem fa-
mem propterea experiebatur 2. Sam. 21. §. 1. & 19. Josia 2. Reg.
23. §. 26. Davidis, ob cujus peccatum populum, innocentem
ipsius Davidis judicio, pestilentiam concussit DEus. Atq; ejus
causam hanc habet Omnipotens, ut peccatores parentes eò
exquisitius per vulnera sobolis, quæ suam culpam acceperunt, af-
figantur: exemplo mortalibus, quo perterrefacti dediscant
facinora, timor & honor Dei propagetur & augeatur. Ce-
terum hæc ad temporales tantum poenas valere asseritur Rom.
14. §. 12. 2. Corinth. 5. §. 10. 1. Corinth. 5. §. 8. Deinde ratio-
nem poenæ quidem in genitoribus deliquentibus; sed crucis
& tribulationis duntaxat in liberis innoxiiis habent. Ex his
nobis argumentum insigne nascitur. Quanta est potestas Dei
absoluta in vitam hominum; tanta est potestas Imperantis,
Vicarii Dei, in vitam subditorum, utilitate & necessitate pu-
blicam circumscripta. Notum enim est, Deum constituere
imperia & Dei vices in terris gerere Principes Rom. 13. Necesse
ergò, eos tantam facultate instruxisse Vicarium, quæ ad tuen-
dum officium ejus, id est, salutem Reip. commissæ conservan-
dam, requiritur. Interdum verò securitas & pax nequit
obtineri nisi ad innocentes quoque jus vitæ ac necis ex-
tendatur. Quam urgentissimam necessitatem præsuppono
semper & in nostro crimine non infrequentem esse ostendunt
indignissima Cæsarum Romanorum fata. A C. Cæsare, qui
spectante senatu cecidit ad Carrolum M. usque circiter triginta
ex eis fuerunt interfecti, quatuor verò sibi ipsis mortem con-

sciverunt in ferabilibus angustiis. Aneps & misera tum Imperatorum conditio erat, ipsorum dignitas omnis & salus non in Senatus aut Populi, sed in Legionum ac militum potestate erat. Venale ad libidinem militum diadema regni prostabat, periculis & injuriis infestissimum. Semper aliquid erat, quod in ipsis, desiderarent, neque bonos magis quam improbos ferre poterant, & ad minimam occasionem concitata turbâ jugulabant eos, quos etiam invites ad culmen illud honoris pertraxerant, quemadmodum Historiarum monumenta loquuntur. Scotia exhibet quinquaginta Reges aut expulsos aut in carcerem detrusos aut necatos. Ut taceam parricidia ac infidias Regum Angliæ, cum inter domum Lancastrensem & Eboracensem dissidia flagrant: & Regum Galliæ, cum imperium à Domo Valensâ ad Borboniam transmittendum esset. Eam necessitatem verò determinare, solius imperantis est. Subfuisse autem credibile quia apud plurimas Gentes eam consuetudinem puniendi introductam fuisse §. 13. ostendimus Consulatur Magnif. Dn. W. Leyser *ad A. B. c. 24.* à quo hæc omnia mutuamur.

§. XV.

Secundo ex pœnarum fundamento rem probare aggredior. Ubi eadem adæqvata subest causa, ibi eadem concessa facultas à DEO est. Sed §. II. demonstravimus, finem ac fundamentum unicum, unde mensuram ac formam accipiunt, pœnarum esse necessitatem & utilitatem publicam, ac quod Imperia & pax communis sine eis conservari nequeant. Non ergò supplicia sumere à fontibus iudices, ut mali vicem reddant: sed ut bonum aliquod inde emergat, sc. securitas communis procuretur. Pœnas capitales exercere in facinorosos possunt ob delicta non simpliciter: sed ob hanc causam, quia necessitas communis id exigit. Unde efficimus, Jus V. & N. etiam in aliis casibus, ubi eadem necessitas communis se commendat uti, si perduellio tam frequentata, ut thronus alia viâ stabiliri nequeat, imperantes etiam in innocentes habere. His addo sacramentum militare, quò ad fortitudinem bellicam milites adstringuntur. Virtutem eam egregiam esse,
omnes

omnes fatentur, ad quam miles à Republ. etiam capitali supplicio compelli potest. Sed verò is à Duce suo iustus periculosissimam stationem, unde videt saluum se non rediturum, occupare, Regem periclitantem in acie sui interitu presentissimo tueri tenetur. Atque ubi tempestas belli ingravescit, cives ipsi militarem habitum induere debent. Unde patet, hominem innoxium, sanguinem & vitam pro salute aliorum hominum posse & debere profunderi. Puffendorff. *Jur. Univers.* L. 2. O. 28. §. 10. Idem etiam Salvator noster ex lege charitatis inculcat. Quam eò extendit, ut capita quoque pro proximo devovere debeamus, *Job. 15. §. 13.* & Apostolus 1. *Job. 3. §. 16.* Voluisse verò subditos in tantum, se obligare, ut, quoties necessitas urgeat, morte sui salutem Reipublicæ & concivium redimant, natura societatis civilis & finis quem intendunt, documento est. Tum verò non leve robur causæ meæ fœnerat, quòd *JUSTO* bello, si aliâ ratione jus suum & victoriam bellator obtinere nequeat, etiam innocentes subditos Reip. hostilis vitâ, bonis, libertate ob bonum commune privare queat. Quidni ergò & Rex, si salutem publicam tueri aliter non potest, subditos innoxios interfecerit. Paul. Laymannus *Theol. moral. L. 2. Tr. 3. c. 12. n. 11. 12.* & ab eo citati Molina, Covarruvius, Victoria Magnif. Dn. W. Leyfer c. 1. Ac denique consensus tot Gentium, communisque usus etiam moratorum populorum à naturali ratione non abire adeo indicare videtur. Confer. §. Supra, Cautela tamen hic adhibenda est. Nulli Legislatori autor fuerim, ut talem legem sanciret, cum tutius multò leges civiles Hebræorum exemplar juris numeris suis absolutissimi & ab ipso DEO latæ, sequamur. Sed quæ operosè probavimus, non injustam ac absurdam eandem latam esse efficiunt.

§. XVI.

Adversariam amplectitur H. Grotius c. 1. §. 13. Ant. Matthæi *de Maj. las. c. 3. §. 10.* alii plerique Momenta deprimunt, primum ex Legibus divinis, *Deutr. c. 24. §. 16. 2. Reg. 14. §. 5. 6.* & *Ezechiel. c. 18.* Deinde ad rationem naturalem

provocant, quod omnis poena in merito & mala actione liberâ voluntate peccantis commissâ fundetur. Id verò personale esse & ab impolluta sobole longè abhorrere, Grot. c. l. §. 13. Quibus succenturiant Leges Romanas, utpote L. 26. ff. de Poenis, L. 22. C. eodem. At duæ leges divinæ forenses sunt & ad Remp. Judaicam alligatæ, quæ Christianos hodiè non stringunt Magnif. Dn. Wilh. Leyser c. l. Alberic Gentilis D. 7. ad L. f. M. Locus Ezechielis 18. de poenis æternis, quas non protrahi ad sobolem, supra diximus, interpretatur. Argumento est, quod poenitentiam scelerum, quorum quædam apud Judæos capitali poena coëreabantur, & §. 6. 7. 8. eodem c. 18. Ezechielis retulerat, tollere poenam asseverat Propheta. Quod tamen in temporalibus poenis non invenit locum. Audiamus Augustinum Lib. 6. contra Julianum: *Non intelligis (loquitur verò de citato textu Ezechielis) hanc esse promissionem Testamenti Novi, spiritualis hereditatis ad alterum seculum pertinentis? Idenim agit gratia Redemptoris, ut parentum chirographum delet, & unusquisq; pro se rationem reddat.* Leges Romanæ de ordinariis poenis & mitioribus delictis loquuntur & exceptio in atrocissimo hoc facinore per d. L. 5. C. b. t. à regulâ faciendâ. Naturalis ratio idè hinc exulat, quia liberis ita afflictis non tanquam poena hoc malum accidit: sed tanquam *casus fortuitus* ob summam necessitatem Reip. tolerandus; etsi in parentibus poenæ maxime exasperatæ naturam servet. *Pœna enim perpetuam & æternam ad personam delinquentem importat.* Materialiter igitur tantum cum poena coincidit. Ceterum hanc in perduellium liberos per d. L. 5. & C. 24. A. B. extensam poenam generali omnium Christianarum gentium consuetudine abolitam esse, multi DD. statuunt. In quam rem A. Matthæi c. l. n. 11. citat testes Jctos Italos, Hispanos, Belgas, Germanos & Gallos: plures addit Grænewegen ad sæpius alleg. L. Quisquis: Legi meretur Sixtinus L. 2. de Regal. c. 20. n. 93. & 94 Mylerus ad Rumel. part. 3. D. 4. th. 9. inf. testatur, hanc esse communem DD. opinionem. Idem de confiscatione bonorum paterno-

ternorum quoad Legitimitate statuendum Mercur. Merlin. de
Legit. L. 3. T. 1. Q. 30. n. 26. quia in *ordin. crimin. artic. 218.* re-
petitur. Infamiam ex crimine paterno non recidere in so-
bolem Budæus ad *L. 2. C. de pæn. autor est.*

§. XVII.

At enimverò gradus tamen in hæcenus enarratis pœnis
observandi veniunt. Gravius in perduelles, qui rectâ Ma-
jestatem invadunt, quam in eos, qui ex longinquo feriunt &
simplex crimen perpetrant, animadvertendum, quemadmo-
dum *L. 34. §. 40. ff. de pœnis* eximio argumento inserviunt, si
cum sapius *alleg. L. 5. C. h. t.* componas & mutuo interpreta-
mento explices. Mitiùs habendi, qui per latus adoriuntur
ac conscii tantùm sunt, quàm qui moliti sunt & ad conatum
processerunt. Nam pœna ordinaria perduellionis in con-
sciiis tantùm, sceleris hujus agitati locum non invenit, sed ad
extraordinariam hic de veniendum. Rectius enim *L. 5. §. 6.*
C. h. t. §. c. 24. §. 6. A. B. cum Ant. Matthæi *c. l. §. 3.* Brunne-
manno ad *L. 5.* de eis, qui participes factionis sunt, exaudi-
mus. Conatus verò in præsentem eadem severitate, quàm ipsum
scelus patratum coërcetur *L. 8. pr. L. 6. C. h.* Atrocissi-
mum enim perduellionis crimen est & pœnæ exorbi-
tans hæc expressè sancita A. Matthæi ad *T. Pæn. c. 4. n. 13.*
A. Perez. ad *T. h. n. 12.* Zœf. ad *T. h. A. n. 11.* Imò si salus
publica, quæ ubiq; Magistratibus suprema Lex esse debet, ita
tulerit, potest omninò gratiam criminis facere. Non enim
ad vivum refecare omnia oportet, ubi urgens necessitas diver-
sum svadet. Si in ullo negotio, hîc sanè melioris providen-
tiæ Princeps inveniet, in quo desudet. Extant Regum exempla,
quibus hîc saluti laudiq; clementia fuit: aliis verò ex miseri-
cordia periculum crevit *Tac. 3. Histor. 66.* Subinde populus in-
teger jugum excutit & Proceres sceptrâ affectant. Tum Rex
accuratè rationes subducatur, & primùm quidem, num tantâ po-
tentiâ & opibus instructus armorumq; robore fultus sit, quo
fluctus civiles ex suppliciis surrecturos vi componere sufficiat.
Ita Agathocli Justin. *L. 23. c. 2.* ita Albano Duci, qui Philippi II.
auspi-

auspicio rem gerebat, adversus Neapolitanos rebelles, ita Augusto Imperatori R. Dio Cass. L. 48. Tac. i. Ann. 16. bene successit negotium. Contra ea, si imbelles Principi vires sint, ostentandus magis, quam stringendus ultor gladius. Sed verò ambitiosa & vana fulmina sunt, quæ fulgur jactant, impetum non faciunt, & verendum, ne serpat malum profundius. Ferociores ergò ex improvviso tollantur, dissimulatò l. condonatò ceterorum sociorum facinore; ne ad desperationem adigantur. Illa virtutem invictam & acerrimam subinde miscet animis, quæ in se ipsam collecta ad immensa proruit. Temperatus timor cohibet animos, assiduus in audaciam jacentes excitat & omnia experiri svadet. Senec. de Clem. 12. Ita metus vindictæ omnes intra officii repagula continebit; pœna paucos tanget. Deinde probè ingenia eorum, qui adversus Remp. & Imperantes conspirant, scrutanda, & num populi studiis muniti sint, videndum. Qui levi & inconsultò affectu in scelus prolabuntur, aut gratiâ gentis totius nituntur, in eos facilior venia sit. Nam ibi pertinax vitium non hæret: hîc verendum, ne tota multitudo exasperata alienetur. Quod si vindice animò illatas, quas putant sibi, injurias ulcisci perseverent, si odio pluribus sint, si opibus destituti, maturanda Nemesis. Christ. Forstnerus ad Tac. i. Ann. c. 20. & XII. Ann. c. 19. Hoc si observasset Meleager apud Barclajum in Argen. & Lycogenem non intempestivè sustulisset, non civili bello deflagrasset Sicilia. Nec major prudentia Albani Ducis fuit, Egmontium & Hornium fœdè trucidantis, Thuan. L. 93. Nec Demetrius Moscorum Dux periisset, nisi Zuschio ignovisset. Adam Olear. in I. P. L. 3. c. 2.

§. XVIII.

Non alienum, arbitror, à nostro instituto fuerit, illustre admodum læsæ & vindicatæ Majestatis exemplum huc ex historiâ Romanâ subjicere. Ælius Sejanus, Vulsiniis in Hetruriâ natus, Seji Strabonis, Equitis Romani filius, à tenui initio ad ingentem dignitatem pervenit. Juvenis sub C. Cæsare, D. Augusti nepote, meruit Tac. Ann. IV. c. 1. Mox apud Tiberium J. R. rebus strenuè gestis, industriâ & vivacissimò animi vi-
gore

gore tantam gratiam iniit , ut cohortibus prætoriiis cum patre collegâ præfectus , Druso filio , cum hic Imperator foris legiones curaret , rector daretur. *Tac. 1. Ann. c. 24.* Genium Cæsaris brevi tam accuratè exploravit & expresit , ut idem penitus videretur. Quæ res Principem ipsi conciliavit admirandum in modum , ut suspectis omnibus arbitris , soli secretiora panderet , ministro dignissimo , per quem facile , quæ agitaret , perficerentur. *Tac. Ann. IV. c. 1.* Secuta è vestigio , ut solent , studia Procerum & Senatus Romani : qui certatim venerari hominem sibiq; propitium reddere gloriosum ducebant. Nullum arduum suscipiebant negotium , quoad rem Romanam pertineret , de quo non prius Sejanus confuleretur , *Dio Cass. L. 57.* Ille verò mimum suum componere & in lucrum sibi vertere omnia novit affabrè. Ambitiosam sanctitatem , salutem Principis & Reip. cuncta ejus opera , modestiam fortuna præ se ferebat *Tac. Ann. IV. c. 1. & 7.* Propensos animos fovet beneficiis ac lautis officiis sibi proprio facit. Clientes enim suos in Senatorium ordinem evexit , honoribus & provinciis amplissimis ornavit *Tac. Ann. IV. c. 2.* Cum , qui juri dicundo præerant , & Oratores , qui apud plebem valebant plurimum , in partes pertraxisset , etiam milites adortus est. Nam Prætorianum & præsidarium militem , quibus summus Dux præerat , in castra ad in munita coëgit ; paratam sævienti periclitantivè turbam , quâ terror omnibus incuteretur. Vulgus blanditiis , Centuriones & Tribunos muneribus delatis , spe & largitionibus , sibi devincit *Tac. c. 1.* Tiberium tam facilem & benignissimum ubiq; experiebatur , ut Sejanum socium laborum non modò in sermionibus , sed & apud Patres & populum celebraret , coliq; per Theatra & fora effigies ejus interq; principia legionum sineret *Tac. c. 1.*

§. XIX.

Jam ad summam evaserat , totum Reip. machinam pro lubitu versans , cum vitio humanæ mentis , quam præsens fortuna nunquam satiat , ad immensa niteretur. Per ruinam

D

Cæsaris

Cæsaris familiæq; regnatricis, magna audaciæ nomina, ad so-
lium Imperatorium grassari parabat. Sed quòd gens augn-
tissima prole abundaret, & vi tot simul tollere intutum, do-
lus intervalla scelerum poscebat. Primas partes in funestis-
simo spectaculo egit Germanicus, Drusi Neronis filius. Qui
scelere Pisonis & Plancinæ, quos in caput miseri per-
cussores subornaverat, interiit. unum cum maximè reformi-
dabat. *Sveton. in Calig. §. 2. 3. Tac. Ann. II. c. 72.* Deinde
Libo Drusus, Eqves Romanus, genus ad Augustum, ut Ger-
manicus, referens, capitis accusatus est. Sed is iniquum
supplicium antevortit sibiq; damnatas manus intulit. *Tac.
Ann. II. c. 27. ad 32.* Tum verò ad Drusum, Tiberii filium
parricidalem manum porrigit, cujus uxorem Liviam, emen-
datoris venustatis foeminam, adulteriò pellexit, & ad spem
conjugii, consortium Regni, necem mariti impulit. *Tac. Ann.
IV. c. 3. II.* Tiberii aliàs truculentum satis animum perpetuis
adversus Agrippinam, Neronem ac Drusum, viduam & fili-
os Germanici, odiis accendit donec innoxiam matrem cum
miserandâ sobole in solas terras deportaret, ac tortos fame
interimeret, *Sveton. in Tib. §. 53. 54. Tacit. Ann. IV. c. 52. 54.
60. & Ann. V. c. 3. 45.* Romam tot Procerum, Equitum, Sapi-
entum, quos molimina sua interpellare, rei ac libertati com-
muni studere sentiebat, sanguine foedavit, ut clade belli re-
cens afflicta videretur, quemadmodum Tacitus, Dio & Sveto-
nius passim memorant.

§. XX.

Via ad Thronum latè strata & patratum penè opus pul-
cherrimum erat, cum eandem per matrimonium cum Liviam,
adulterâ Drusi viduâ, & Tribunitiâ potestate munire ampli-
ùs ac ipsi Tiberio imminere aggredereur. Quem quasi ex-
torrem Româ excluderat, ut voluptatibus & delicatiori vitâ
soporato faciliùs clavum Imperii eluderet *Tac. Ann. IV. c. 39.
40. 41.* In tantum potentia Sejani excreverat, ut omnia spe
metuq; misceret, eiq; spreto Tiberio, Imperatori justo obse-
qverentur. Enimverò vultuosò superciliò Sejanus Recto-
rem

rem Insulae Capreae Tiberium, se autem palam Imperatorem Romanum praedicavit & in spectaculis ac comitatu calvitium ipsius ludibrio exponere non erubuit. Dio Cass. Lib. 58. Haec insidiae fallere callidum Imperatorem non potuerunt, longeque aliter fabula, atque nexa erat, finiit. Haesit primum Tiberius, occulto tutoque consilio rabiem & procellas colligens. Postmodum gratiam fictam, spe ingenti affinitatis & Tribunitiae potestatis stolidè ferocem lactavit. Mox Naevium Sertorium Macronem cum literis ad Senatum Romanum misit, quibus Majestatis violatorem & perduellem in vincula publica conjici jussit. Clam, quod potentiam & factionem Sejani extimesceret, Macroni negotium dedit, ut digno supplicio afficeretur. Senatus ergo in templum Apollinis edictus, recitatae literae: à Regulo Mercurio, C. R. in carcerem noxius trahitur. Populus indignabundus euntem convitiis persecutus est, & statuas ejus proturbatas confregit. Eodem die in aede Concordiae damnatus & capite plexus est. Dio Cass. c. 1. Quidam putant, in custodiâ strangulatum esse. Quae familiaris tunc temporis poena Majestatis laesae reis erat. Tum verò per itinera urbis foedè tractus in Gemonias projectus est; eumque totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim misit, Juvenalis L. 4. Sat. 10, Dio c. 1. Tandem nec in Sejani liberis, tres enim, duae filiae & filius unus patri superstites erant, ulciscendi defecit severitas. Ex SCto laqueo extincti in idem ferale pegma raptati sunt, Dio c. t. Tac. Ann. V. c. 9.

§. XXI.

Justissimum igitur Tiberius de Sejano, perduelle, & percussore augustissimae Octaviani & Tiberii familiae, imò ipsius Imperatoris venifico, supplicium sumpsit. Quippe is non minus in Reip. saevit, Imperatorem, successores Regni optimos & mitissimos, quos habere Reip. maximè interest, Proceres eminentiores, innocentissimos cives de medio tollendo, quam in ipsum Imperatorem & ejus Majestatem commisit graviter; dum & capiti & Coronae eximie de se meriti in-


ſidiaretur, filiumq; jugularet. Non intra animum ſcelus
continebatur, ad molimenta proceſſerat. Et niſi fraudem
ſenſiſſet in tempore ſagaciſſimus ſenex, actum de Majeſtate
ipſius fuiſſet. Non indignus quoq; in familiam ejus puni-
endi rigor eſt, qvi familiam regalem extingvere auſus erat.
Reip. vehementer intereſt, ſecurum agere Principem, ſecuram
Rempublicam. Turbatæ interdum aſpera remedia, quæ ſpe-
ciem iniqui ſubinde mentiuntur, adhibenda. Nunquam ve-
na ſecta eſt, qvin cum maligno ſanguine & ſanus mitteretur.
Qvòd tamen fieri ſalus ægroti & morbi vis gravior jubebat.
Nondum Monarchicum Imperium coaluerant penitùs, cervi-
ces rigidæ Romanorum, populus libertatem priſtinam recens
amiſſam ſuſpirabat. Hinc inſidiæ Tiberii perpetuæ, quas de-
clinare tam acri remedio oportebat: ne in ſinu aſpides fove-
ret. Parùm tamen providum ſe præbuiſſe Tiberium arbi-
tratur, qvòd Sejano, tantam poteſtatem ſibi uſurpanti, quæ
ſine ingenti niſu vix invito extorqveri poterat, indulſit. Cum-
primis, qvòd monſtrum additis tot dignitatibus & ſolenni
divioq; cultu foveret. Differebat nimis nefarium hominem
è gradu dimovere vano metu: qvem Optimatum & totius
populi odiis infeſtum facilius opprimere poterat. Ante-
qvàm radices egerit arbor, promptè crues: coaleſcentem
frustrà moliturus. Exitiale omnium Imperiorum virus eſt,
unum aliquem habere, in quem ſe totum Princeps transfun-
dat. Proſtituuntur ita Regna quaſi ſponſæ adulteris, qvi
ſpoliare didicerunt, amare nunquam poſſunt. Non ſcylla non
charybdis hoc gurgite periculoſior: remis omnibus vitandus
illi, qvi habere ſubidos, non Dominos velit. *Cauſ. de R.
D. D. 54.* Qvanquam longè alia mens Cæſaris eſſet. Qvi Se-
janum instrumentum crudelitatis, in qvòd odia po-
puli oppreſſi reciderent, habere co-
gitabat.


SOLI DEO GLORIA!

Wittenberg, Diss., 1674-75

X 241 8708

VD 17





Gr. 10. m. 14.

Q. D. B. V.
DE

1674 10

14

CRIMINE MAJESTATIS VINDICANDO,

Quam
Consensu Magnifici J.ctorum Wittenb.
Ordinis,
PRÆSIDE


VIR O Nobilissimo, Excellentissimo ac Consultissimo
DN. GODOFREDO STRAUSSIO,
Phil. & J.U.D. ejusdemq; Prof. Publ. Extraord. Inclytæ Facultatis Juridicæ Assessore, Curia Elect. & Consist. Eccles. Advocato Ordinario.

Patrono etatè devenerando
Disputabit Auctor
AUGUSTUS FRIDER. à KOTTERITZ,
Eqves Misn.

IN AUDITORIO J.CTORUM
Die 15. Junii M DCLXXIV.



WITTEBERGÆ,
EXCUDEBAT JOHANNES WILCKIUS.



15

